



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Lignvm Vitae, Ornamentum, & Decus Ecclesiae**

In Qvinqve Libros Divisvm. In quibus, Totius Sanctiss. Religionis Divi Benedicti initia; Viri Dignitate, Doctrina, Sanctitate, ac Principatu clari describuntur: & Fructus qui per eos S. R. E. accesserunt, fuissimè explicantur

**Wion, Arnold**

**Venetiis, 1595**

De alijs Ordinibus sub institutis Cistertiensium militantibus. c. L.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38372**

Cisterciensium uellem induit, & de Rege se Monachū, & Religio-  
sum fecit, certus ad Populerum cœnobium, quo se loco humari uo-  
lebat, reliquam vitam exigere. Sed cum ex Algezira Valentiam  
delatus fuisset, ibidem, grauius egrotans, uitam finijt die 27. Iulij,  
ætatis suæ anno 72. Christi 1276. & in eodem Populeti cœnobio in  
monastico habitu sepultus est. *Marinaus, de Reb. Hisp. lib. 10. circa  
finem: & Mariana lib. 14. cap. 2. de iisdem.*

Frater Henricus, Ludouici Crassi Franciæ Regis filius, prædica-  
tione Sancti Bernardi Abbatis, primum monachus Claretallensis,  
Ordinis Cisterciensis factus, post Episcopus Bellouacensis 53. anno  
1161. postremo Remensis Archiep. 49. anno 1163. creatus, in bonis ope-  
ribus uitam finijt anno 1177. *Robertus de Monte in suppl. Sigeberti;  
uita S. Bernardi, & alij.*

Frater Ferdinandus, Alphonsi I. Aragoniæ Regis, filius mona-  
chus primum Monasterij Populeti, Ordinis Cisterciensis, inde Ab-  
bas Montis Aragonum, Ordinis S. Benedicti nigrorum, floruit an-  
no Domini 1190. 10. *Mariana de rebus Hisp. lib. 11. cap. 19. &  
alij multi.*

*De alijs Ordinibus sub institutis Cisterciensium  
militantibus. Cap. L.*



**S**unt habitus, & cōstitutionibus Cisterciensium Mon-  
chorū, & Regula S. P. Bened. militat quidā Ordo  
Vallis Colliū, seu Cauliū, sic dictus, quod Monast.  
Vallis Caulium sit præcipuum Ordinis Caput, ut  
refert Bartholomeus Cassaneus, in Catal. glo. mū-  
di, par. 4. confid. 58. & per Priores gubernatur,  
suntque nonnulla Monasteria illius in Gallia, ut apud Hedua, &  
Sedelocum, ac alibi. Quando autem fuerit institutus, vel à quo, seu  
qua de causa, à nemine proditum reperi.

Est, & alius Ordo, qui uocatur Ordo Reformatus S. Bernardi, cu-  
ius Ordinis RR. Patres nunc Romæ in Ecclesia Sanctæ Potentianæ  
habitant, acciti ab Illustrissimo, & Reuerendiss. quondam D. Ca-  
rolo Borromæo, S. R. E. Card. T. T. S. Praxedis, & Archiepiscopo  
Mediolanensi, uiuuntque cum magna sanctitatis, & austeritatis opi-  
nionē: sed quando exortus fuerit, quisue eius auctor, & an à prædi-  
cto Vallis Caulium Ordine discretus sit, explicare non ualeo.

*De*